



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Lvcivs Rex M. 3. Decembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

est. Et quid aliud vigilans postea egit, cum ejusmodi hominum decies centena millia ad Ecclesie gremium suis humeris tulit, & tot non tam vultus, quam animos fuscis sacra unda solus lavit, & caeli candidatos esse iussit. Vaticinia insuper edidit innumera, precibus mare exarmavit, exercitus vicit, idem eodem tempore geminis in locis & longissime distitis, periclitantibus adfuit, demortuos in vitam revocavit quinque supra viginti: Omnibus omnia factus in conviviis etiam atque ludis animorum luctum quaesivit, invenitque. Ad extremum dum amplissimum Sinarum Regnum laborat ingredi, in ipso ejus portu ad caelum animam appulit. *Ex vita.*

S. LVCIVS REX M. 3. *Decembris.*

**I**gnosce iterum Anglia, quantum heu! quantum mutata ab illa es, cum pracones verae fidei aliena regna Reges habuerunt tuos! Sed age in memoriam juxta mecum revoca avita decora. LVCIVS ille tuus (est stirpe regia germen) puer jam Catholicae fidei, & vero haec illi etiam arrisit. Nimirum quin hanc amplecteretur, unum illud moram injiciebat, quod nulli ferè tunc nisi sanguine suo purpurati eam ambirent. Vbi vero primum transire ad Christianorum partes etiam palmatas Romae togas inaudit, quam mox statuit etiam coronam

ronam suam Christo submittere. Igitur sana fidei Doctores Româ ab E-leutherio Pont. accivit: mox è discipulo ipse etiam Doctor, & calcato regni fastu è rege Apostolus Augustam Vindeliciam venit. Constitit hic opera suæ fructus, ad fidem præter alios nobilissimâ familiâ adductâ. Sed & merces sua LVICIO constitit, utpote qui verbera & lapidationem in lucro posuit, præceptsq; actus in puteum maximam scilicet inde voluptatem hausit. Nec verò hanc solum Augustam Coloniam, etiam alteram Reginoburgum adit, neque prius quàm Christum per omnem Vindeliciam Noricumq; circumferret, morte beatâ Curie quievit. Gratiâ igitur Anglia tibi habemus extera nationes, & si modò vis vicem rependimus, nostrosque tibi Doctores ecce submittimus. *Ex Brev. Cur. & Bav. S.*

S. THEODVLVS C. 3. Decemb.

**A**scenderat in id fastigium honorum THEODVLVS, ut aula illum Theodosiana Præfectum salutaret. Verùm his etiam altiora virtus ambiit. Etenim quòd aulae rethnas & insidias probe perspectas haberet, ludos facere hanc vicissim voluit. Quare assensum omnem (Philippeorum millia quinque supra quinquaginta) liberali sparsione in miseros